



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. LIV. Declaratur, quam efficax contra peccata remedium sit, Iudicij particularis, quod mortem subsequitur, consideratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

& virtutum, meritorumque augmentum acquirit; & sic mors facilis, ac suavis redditur, fitque securus, & latus in æternam vitam ingressus.

Declaratur, quàm efficax contra peccata remedium sit iudicij particularis, quod mortem subsequitur, consideratio.

CAP. LIV.

EX inuisibilium rerum cognitione, & Fide totum vitæ nostræ regimen dependet; & inter harum rerum considerationes vna magni momenti, omnibusque necessaria est consideratio iudicij particularis, quod post mortem fit; de quo Sanctus Paulus ait: *a Statutum à Deo est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem fieri de iisdem iudicium.* Simul atque anima de corpore egressa est, sistitur coram tribunali IESU Christi. Ibi rerum omnium, quas in hac vitâ fecit, dixit, cogitavitque, bonarum, & maliarum ratio ab eâ exigitur; ibi manifestantur, examinanturque vniuersæ,

a Heb. 9. 27.

Si

Si anima à mortali peccato libera inuenitur, siue quia id non commisit, siue quia per pœnitentiam ab eo purgata est, Christus sententiam pro illâ pronuntiat, eamque tradit bonis Angelis ducendam vel ad gloriam, vel ad Purgatorium, si quod ei peccatum veniale expiandum, vel mortaliū dimissorum pœna luenda restat. Sin anima in peccato aliquo mortali, de quo pœnitentiam non egerit, inueniatur, fert Christus contra eam sententiam, quâ ipsam ad perpetuum exilium à cælo, & ad æterna inferni tormenta condemnat; moxque traditur Dæmonibus, vt hanc in illâ sententiam exequantur. *a Scimus*, inquit S. Paulus, *quoniam iudicium Dei est secundum veritatem, & ipse reddet unicuique præmium, vel supplicium, secundum opera eius.* Hæc sunt, quæ in isto iudicio considerare debemus: primùm, quàm breui sit futurum, cum vita valde breuis sit, & ad mortem, & ad hoc iudicium velocissimè currat. Secundò, quàm iustum

a *Ad Rom. 2.2.*

sum sit, quamque nullum in eo peccatum nec magnum, nec paruum, ne unicum quidem verbum inutile, nec otiosa cogitatio, impunita sit futura. Deinde, quod sententia tam sit stabilis, & irrevocabilis, ut non mutanda in æternum, nec alteranda sit; quodque in nouissimo, quo ponetur, loco, siue gloriæ, siue pœnæ, æternum sit permanfura. Præterea, quomodo æternus iudex impijs se summè seuerum, ac terribilem, bonis verò benignitate, suauitateque plenum præbiturus, nec ullis precibus, nec lacrimis peccatorum, nec Sanctorum, nec Angelorum, nec ipsius Angelorum Reginae orationibus emolliendus, nec ad dandam veniam mouendus sit, quod iam peccatoribus tempus misericordiæ, quæ à miserijs liberat, & tempus veniæ, quæ liberat à peccatis, effluerit. Ad huius iudicij memoriã, & considerationem sæpè nos diuina Scriptura hortatur. *a*
Latere iuuenis Deo seruiens in adolescentiã tuã; & scito, atque considera, quod
pro

a Eccles. 11. 9.

pro omnibus operibus tuis adducet te
 Deus in iudicium, inquit Ecclesiastes.
 Et Ecclesiasticus introducit mortuum
 vnus diei, qui hominem superstitem
 alloquens ait: *a Memor esto iudicij mei,*
 considera iudicium de me factum, &
sic tuum quoque fore, qui morieris, &
 iudicaberis; idque tam citò erit, vt
 cum *heri meum* iudicium fuerit, *hodie*
tuum sit futurum; quod enim tempus
 tibi restat, adeò paruum est, vt vnum
 diem computare possis; ac propterea
 quolibet die, ac si supremus esset, ad
 illud præparare te debes. Sancti à Spi-
 ritu Sancto experienciâque docti hor-
 tantur, & suadent hanc consideratio-
 nem iudicij, tanquam rem summi mo-
 menti, & vtilitatis. Id S. Gregorius fa-
 cit his verbis: *b Conuersus quisq; sibi*
cautè sollicitus, tacitè secum considerare nõ
cessat, aternus index quàm districtus ad-
ueniat, summ^{us} e. minum quotidie prospici-
cit, & ante seueritatem tanta iustitia quas
rationes vite sue sit positurus, attendit. c
 Idem

a Ecclie. 38. 23. b D. Greg. l. 24. mor.
cap. 16. c Hom. 39. in Euang.

Idem alio loco, pensare, inquit, quotidie debemus, quantum nobis erit terribilis hora nostra resolutionis, quæ formido, & consideratio iudicis. Et S. Ephræm, qui profundissimū de iudicio diuino sensum habuit, hanc considerationē pro omnium peccatorum remedio præscribit, dicens: *a* Reuolue animo tuo horrendum illud Christi tribunal, in quo quidem idem ipse Christus iudex viuorum & mortuorum præsidebit: unusquisque porrò nostram ibi totius vite suæ rationem cogetur reddere; & truces quidam atque horrendi circumstabunt Angeli, expectantes peccatorum animas, in Inferni barathrum deportandas: Nam qui tribunal illud sibi ob oculos constituit, aut nihil penitus, aut parum admodum delinquet. Ex hac consideratione debemus peccatorum præteritorum poenitentiam concipere, vt inde exeamus. Et enim considerans homo, in diuino iudicio non esse peccatorum veniam, nec misericordiam, quæ ab illis liberet, sed tantum iustitiam, quæ illa pu-

D d niat;

a D. Ephr. serm. de iudicio tom. 1.

niat; & misericordiam Dei iam paratam esse ignoscere, veniam nobis offerre, nosque adeò rogare, & impræsentiarum dolorem, pœnitentiãque de peccatis multùm prodesse, & peccatorum lacrimas, precesque admitti; vt homo peccator tam felici occasione vtatur, nec eam perdat, vtque tam opportuno tempore plurimum coram Deo lucrandi fruatur, nec illud inutiliter transire sinat, ad dolorem de peccatis præteritis suscipiendum, & agendam de ijs pœnitentiã excitatur. Sic faciebat S. Iob, vt ipse fatetur, dicēs: *a Ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus; hoc est, constitutam me ante Deum, & considerabo iudicium, quod ipse de me facturus est, & cum dolore cordis mei reprehendã me de culpis meis contra eum commissis, & me in omnem, quam mihi iniungere voluerit, pœnam offeram. b* Ita S. Gregorius, *Qui sibi, inquit, in conspectu Dei iudicium ponit, os suum increpationibus replet; quia dum subtile exam*

men
a Iob 23, 4. b D. Greg. l. 16. mor. c. 14.

men tremendi contra se Iudicis contem-
platur, amara se pœnitentia inuentione
persequitur. Utamur nunc hac diuinâ
misericordiâ, quæ tam liberaliter no-
bis offert veniam, quam tunc Dei iu-
stitia nobis negabit. Fruamur tam di-
uite, tamque copioso mercatu, in quo
tam exiguo pretio, quàm est intimus
dolor, & suspirium de peccatis, tam
pretiosas merces, quàm sunt peccato-
rum venia, & gratia iustificationis,
emere, & acquirere possumus. Hoc nos
idem Sanctus monet dicens: *a Lar-*
gitatem, fratres mei, supernæ pietatis aspi-
cite, & ad misericordem Iudicem, dum
adhuc expectat, cum lacrimis venite. Con-
siderantes namque, quod iustus sit, peccata
vestra nolite negligere. Considerantes verò
quod pius sit, nolite desperare. Est nobis
spes magna pœnitentibus, quia aduocatus
noster, factus est Iudex noster. Debemus
quoque ex huius iudicij consideratio-
ne timorem peccatorum, quæ in hac
vitâ committere possumus, concipere,
ut ea fugiamus. Quemadmodum pec-

D d 2

cato-

a Hom. 34. in Eua.

catorum commissorum poenitentiam inde concipere debemus, vt ab ijs nos liberemus, sic indidem debemus sanctum timorem peccatorum, quæ possent committi, concipere, vt euitemus ea, nec ipsis consentiamus. Peccata enim sunt, quæ hunc supremum Iudicem offendunt, ipsumq; ad iram prouocant, & quæ ille in hoc iudicio condemnaturus, ac puniturus est; ideoque debemus illa, tanquam tanti mali auctores, vehementer timere, & magnâ cum diligentia fugere; sic enim securi esse poterimus, & confidere, sententiam secundum nos latum iri. Monet hoc S. Gregorius hisce verbis: *a Hunc tanti pauoris Iudicem ante oculos vobis ponite: hunc venturum timete, vt tunc, cum venerit non timidi, sed securi videatis. Terror eius nos ad usum bonæ operationis exerceat: metus illius vitâ nostram à prauitate compescat.* Hunc quoque fructum ex diuini iudicij consideratione S. Iob colligebat, vt ipse testatur, dicens: *b A facie huius Domini*

117.

a D. Greg. hom. 26. in Euu. b Iob 23. 15.

turbatus sum; considerans rectitudinem iudicij eius, & rationem, quam ei sum redditurus, tantum de peccatis dolorem concipio, vt me valdè diligentem, ac sollicitum in eis fugiendis faciat. Quando homo Dei iudicium non considerat, peccata non timet, adeoque effrænate in ea prolabitur; & cum in summo damnationis suæ periculo versetur, non timet Dei poenas, viuitque cum falsâ quadam securitate, quæ ipsum in æternam perniciem ducit: & quantò maior est fallax securitas, cum quâ viuit, tantò ipsius damnatio est certior. At quando homo considerat iudicium Dei, & timet peccatum, idque fugit, etiamsi plenus sit timoribus, ac formidinibus suæ damnationis, putetque se in magno pereundi periculo esse, reuerà coram Deo tutus admodum, liberque à periculo est, quamdiu sanctum hunc timorem in animâ suâ conseruat. Ideoque dixit Spiritus S. *a* *Beatus homo, qui semper est pauidus.* Facit enim hic timor, vt culpas fugiat, & di-

D d 3

vina

a. Prou. 28. 14.

uina mandata exequatur; eumque de salute securiorem reddit. Videamus nonnihil, quo pacto homo hunc timorem, qui ipsum à peccatis liberet, ex diuino iudicio debeat concipere. In hunc finem sic ipse secum ratiocinetur: Deus Creator, & Saluator meus decreuit iudicare me; nec ego possum hoc iudicium effugere; citius hæc mundi machina in nihilum redigetur, quàm hoc iudicium meum emanet, vel quàm me possim abscondere, ne iudicer. Hoc iudicium in horam mortis meæ erit, quæ in dies, & horas mihi magis appropinquat: in illo rationem redditurus sum omnium meorum operum, verborum, atque cogitationum. Et si liber à peccato mortali, & in statu gratiæ inuentus fuero, accipiam de manu huius Domini altissimum gloriæ ipsius præmiū: sin is me in peccato mortali per penitentiam non deleto deprehenderit, sententiã latã me ad immensa, æternaque tormenta condemnabit. Sententiã per appellationem suspendi non potest, nec precibus, nec muneribus

muta-

mutari, quia iudex iustissimus, & rediissimus est, nec vllum peccatum impunitum dimissurus; & quamuis totum cælum simul pro vno reo deprecaretur, non posset illum ab eius manibus liberare. Iam si præteritam meam vitam considerem, video me malè eam expendisse, & in multa peccata, quibus hunc infinitæ Maiestatis Dominum offendi, irritauique, lapsum esse. De his peccatis poenitentiam non egi, & si egi, imperfecta ea est, ac dubia: & si iam Deus me ad suum iudicium vocaret, excluderer ab ipsius gloriâ, & æterno igni addicerer, vel certè admodum dubito, quid me fieret. Ergo necessarium mihi est, vt quàm primùm veram, & condignam de peccatis meis poenitentiam agam, vitam meam emendem, & in fugiendis quibuslibet culpis, Dei que offensis, & in exercendis humilitatis, patientiæ, charitatis, cæterarumque virtutum operibus valdè sim vigilans, quò mundus à peccatis, cum magno bonorum operum censu, & cum maiore salutis certitudine, se-

curitateque in hoc iudicio comparere queam. Hac ratiocinatione Christianus ad timendum diuinum iudicium moueri, & ad fugienda peccata, bonaque facienda opera animari debet. Atque hoc est, quod nos S. Spiritus per Ecclesiasticum admonet, vnicuique dicens: *a Ante iudicium para iustitiam, id est virtutes, & sancta opera, tibi.*

a Ecclic. 19. 18.

Alia liberandi se à peccatis mortalibus media, quæ sunt occasionum, peccatorumque venialium fuga, examen conscientia, mortificatio, & meditatio, summam proponuntur.

C A P. LV.

PRæter hæc media, quæ proposuimus, & omnia summi momenti, utilitatisque, vt se homo à peccatis mortalibus liberet, esse ostendimus, sunt alia, & ipsa ad hunc finem perutilia, ac necessaria, de quibus plenè egimus in hoc libro de imitatione IESU Christi,